Caput II.

Cum olim Euripidis Alcestis in seminarii Heidelbergensis exercitationibus tractaretur, aliquot eisque gravioribus vitiis scholiorum traditae scripturae ad lucem protractis cognitum est, quod sane etiam aliunde constat, scholia illa, quae emendata a se edita esse Dindorfius praedicat, emendata nequaquam esse. Immo Alcestis scholia in quibus non ut in aliis, ut ad Rhesum, tot aliorum virorum doctorum emendationes adscribere potuit Dindorfius, abundare corruptelis cum ex speciminibus tum editis [1]) suspicari poteram, tum certum mihi factum est cum nuper Alcestin retractarem scholiis accurate adhibitis et examinatis. Atque adhibendam sat multis locis esse medicinam hoc quin speciminibus quae sum editurus cuivis persuadeam, non dubito: veram uni me alterive loco adhibuisse non despero.

---

abrupta videtur: Uberius dea narravit, quae fuisset, quae facta esset; narravit, a Minerva nata repetens iraque Iunonis, satis miram causam, qua Romam ipsa esset translata. Cui narrationi certe gravissimum cum imposuisset finem dictis Martis: 'Habeto tu quoque Romulea in urbe locum', optime se applicaret versus 275 'Talia dicentem tacitus mirabar'. Sed licet adiungat dea, quae sequuntur de floribus. Amplius de eis verba facit; tum autem duobus tantum versibus novam affert rem, cui praesit: mella, earum rerum, quibus praeest, certe minimam, atque hanc in clausulam (de versibus 273 et 274 spuriis enim non dubitandum) exit oratio tam gravis, tam longinqua, de qua 'tacitus miratur' qui audivit poeta! Accedit, quod versus 271 cum antecedentibus ne particula quidem cohaeret, quam desideramus, quia iam non enumerationem habemus, ut supra 'si bene floruerint segetes, si bene floruerint vineae', sed prorsus nova infertur res, quae omissa particula dure se antecedentibus adiungit. — Possum alia etiam monere, quae hoc loco missa faciam, atque in adnotatione posui haec omnia, cum certum mihi stet iudicium de sex illis versibus, quorum proscriptio gravissimis nititur argumentis, incertum sit factum de reliquis auctoritate et iudicio Curti Wachsmuthi, praeceptoris de me optime meriti, qui de illis meum iudicium probavit, improbavit de reliquis. Atque concedo, quae in his suspicionem moveant, esse leviora, ut de interpolatione, quae tam late pateat, fortasse rectius non cogitemus. Attamen omne scrupulum, quotienscunque et rem et res consideravi animoque perpendi, sublatum mihi non est, quam ob rem, quamvis fidere quam diffidere hac in re malim, de his pauca etiam exposui, quae in censum veniant fortasse haud prorsus indigna.

[1]) In scholio ad versum 49 pro *τοῦτο μὴ* scribendum *τοῦτό με;* in scholii ad versum 50 verbis *οὐχὶ τοῦτό σε θέλω ποιῆσαι* corrigendum *πεῖσαι*, quas emendationes ipsa comparatio horum locorum docet. Denique in scholio ad versum 22 *αὐτὸ* pro *ἑαυτὸν* legendum. Apollo enim per se est *σωματοποιούμενος;* cum vero dicit: *μὴ μίασμά με κίχῃ*, vocem *μίασμα* velut personam inducit, quae sibi obviam veniat; ergo *σωματοποιεῖ αὐτό*, scil. *τὸ μίασμα*. Ceterum clamat hic locus iudicium de Dindorfio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Schol. ad v. 16. [1]) *ἥ σφ' ἔτικτε μητέρα: Ἀδμήτου. ἡ Κλυμένη.*

Mira est scholiastae explicatio *Ἀδμήτου;* nam de cuius matre agatur, adeo in propatulo est, ut ne scholiastae quidem, quamvis multa explicanti quae non egeant explicatione, illud tribuerim. Accedit, quod illud *Ἀδμήτου* non minus ad *πατέρα* spectat quam ad *μητέρα,* quare hoc si explicare voluisset scholiasta, in lemmate etiam *πατέρα,* puto, scripsisset. Cum non scripserit, probabile mihi videtur unam explicationem eum dedisse, quae ad *μητέρα* tantum pertineret. Atque cum additum sit *ἡ Κλυμένη,* colligi potest nomine matris contineri explicationem. Patris nomen enim supra iam indicatum est. Itaque delendum videtur punctum inter *Ἀδμήτου* et *ἡ Κλυμένη* atque inserendum, quod puto excidisse: *μήτηρ.* Litteras si spectas, satis accedit *μήτηρ* ad extremas syllabas vocis *Ἀδμήτου,* ut non difficile sit originem intellegere corruptelae. Exhiberi fere ita [2]) in glossemate codicem Parisinum adnotat Dindorfius; itaque hoc malim genuinum putare quam alterum. — Fortasse de alia quis cogitarit emendatione, ut scribatur: *Ἄδμητον* pro *Ἀδμήτου,* qua ratione duo illa explicata essent, quae extant in lemmate: *ἥ σφ' ἔτικτε μητέρα.* Sed offenderet in scriptura ita constituta nominativus iuxta accusativum inconcinne positus. Quare si qua est adhibenda, illa magis videtur probabilis emendatio.

---

[1]) Sequor plerumque ordinem versuum. [2]) '*μήτηρ ἀδμήτου κλυμένη*'. —

[3]) Ceterum hic versus 16 diversissimas virorum doctorum sententias excitavit. A. Nauckius coniectura *πατέρα τε γραῖάν θ' ἥ σφ' ἔτικτε μητέρα* vel potius: *καὶ πατέρα γραῖάν θ' ἥ σφ' ἔτικτε μητέρα* ad Monkii sententiam se convertit, quam falsam esse iam G. Hermannus indicavit cum adnotaret: 'non tria, amici et pater et mater, commemorantur, sed omnes comprehenduntur amicorum nomine, quorum deinde exempla afferuntur, et ea quidem, in quibus maxime conspici debuerit, quid valeret amicitia'. Hermannus igitur *πατέρα καὶ μητέρα* appositionem verbo *φίλους* putat adiectum esse atque explicationem, id quod Nauckius sensu plane carere dicit. Perlucida est causa controversiae; extat in verbo *φίλους,* vel potius in sensu, quem ei tribuerimus. Potest enim ampliore sensu intellegi (='lieb'), potest angustiore (='Freund'); atque illo intellexit Hermannus, hoc Nauckius, quo factum est, ut prorsus contraria ferrent iudicia. Sed cadit controversia cadente fundamento. Proscripsit enim de quo disputatur versum G. Dindorfius atque iure mea quidem sententia proscripsit. R. Prinzius in editione uncis inclusit; potuit ex ordine versuum remotum infra notare, ut fecit de versibus certissime spuriis. Multa puto esse quae suspicionem de hoc versu excitent. Ac primum quidem offendit, quod, cum *πατέρα* omnino nullo epitheto ornatum sit, *μητέρα* non solum epitheto sed etiam enuntiatione relativa sit non tam ornatum quam oneratum. Poeta utique *γεραιὸν* scripsisset et optimam sic effecisset oppositionem patris et matris, cum legenti subaudiendum dedisset sperare potuisse Admetum quod paulisper tantum victurus esset, patrem, matrem, quod flagrantissimo eum quem peperisset amore amplecteretur, facile mortem pro ipso obituros. — Ingravescit deinde res imperfecto *ἔτικτεν* huic loco minime apto. Tum *διεξελθὼν φίλους* illud quidem recte dicitur, sed non dicam: *διέξειμι πατέρα καὶ μητέρα,* quia significat *διεξιέναι* multos deinceps homines singulos adire. Accedit, quod versus eo facilius a neglegente vel male diligenti librario addi poterat, quod ille loci quem infra legimus (636 sq. qui sane versus ipsi spurii) memor, notitiam ex illo perceptam hoc loco fortasse bene adhiberi posse sibi videbatur, quare explicavit quod explicationem omnino non postulat. Nam *φίλους* voce amplissimo sensu parentes quoque comprehenduntur eumque amplum ut hoc loco statuamus sensum, monere videtur, quod *πάντας* vox praemissione premitur, quare poeta, cum *πάντας φίλους* diceret, omnes et amicos et parentes comprehendisse putandus est. Atque postremo insequenti versu eiecto acerbam quandam oppositionem effecisse poetam videmus, cum diceret: *πάντας δ' ἐλέγξας καὶ διεξελθὼν φίλους Οὐχ ἡὗρε πλὴν γυναικὸς ἥτις ἤθελε Θανεῖν πρὸ κείνου...* Nam facilius virum quam feminam, quae pro Admeto mori vellet, inventam fore quisque iudicabit. Quibus omnibus nixus argumentis iure Dindorfium sequi versum 16 excludentem mihi videor. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Schol. ad v. 83: *ἐμοὶ, πᾶσιν ἀρίστη: καὶ ἐμοὶ καὶ πᾶσι δόξασα αὐτὴ ἀρίστη εἰς τὸν αὐτῆς ἄνδρα γεγενῆσθαι.*

Α ὐ τ ῆ ς pro *αὐτῆς* iam Schaeferus in verbis Euripidis correxit; idem nimirum in scholion cadit. Saepe haec pronomina vitiose commutantur. Hoc alterum iam exemplum in Alcesti est. Addo statim tertium ex scholio ad. v. 958: *δι' ὧν ὕβρισεν αὐτοῦ τὸν πατέρα,* ubi *α ὐ τ ο ῦ τὸν πατέρα* scribendum esse patet.[1])

Schol. ad v. 96: *πῶς ἂν ἔρημον τάφον: . . . Ἄλλως. πῶς χωρὶς ὄχλου τὴν ἐκφορὰν ἐποιήσατο Ἄδμητος, ἀγαθῆς γυναικὸς ἐκφορὰν ποιούμενος;*

Post *ἐκφορὰν* inserendum videtur *ἂν,* quod ex dittographia excidisse probabile est; desideratur et sensu et collatis verbis poetae atque ipsius scholiastae in initio scholii. —

Schol. ad v. 112. *ἀλλ' οὐδὲ ναυκληρίαν: οὐδ' εἰ πλεύσαιμεν, ἵνα μαντείαν λάβοιμεν, ἐδυνάμεθα αὐτῇ βοηθεῖν οὐδὲ ἔστιν ὅποι τῆς γῆς πέμψας πλοῦν παραλύσειε τῆς δυστήνου Ἀλκήστιδος τὴν ψυχήν.*

Post *παραλύσειε* fortassis aut pro *τῆς* corrigendum est *τ ι ς* aut inserendum hoc pronomen, ut ex similitudine litterarum omissum. Desideratur enim *τις* ad participium *πέμψας,* cum *ἔστι* impersonale, ut aiunt, esse ex structura enuntiati appareat et scholiastae et Euripidis, apud quem *τις* extat. Atque ipse scholiasta exhibet infra ante participium: *ἀλλ' οὐδὲ πλοῦν ὃν ἄν τ ι ς στείλας ἢ ἐπὶ τῆς Ἀσίας* sqq.[2]) Ceterum maxime corruptum videtur hoc scholion in fine, ubi legimus: *παραλύσαι ψυχήν: παραλύσειεν αὐτὴν τῆς δυστήνου ψυχῆς, ἀντὶ τοῦ θανάτου. ἡ γενικὴ ἐστιν ἀντὶ αἰτιατικῆς, ἵν' ᾖ τῆς δυστήνου τὴν ψυχὴν σώσειε καὶ παύσειε τῶν κακῶν.* Qua in explicatione sicut est tradita prorsus recedit scholiasta ab ipsius poetae et contextu et sensu cum *δυστήνου* hoc loco, contra ac supra factum est in scholio, cum *ψυχῆς* coniungat, ut *τῆς δυστήνου ψυχῆς* idem sit quod *θανάτου,* qua in re errare eum in propatulo est. Sed ne retinere quidem videtur ineptam hanc explicationem in verbis quae statim addit: *τῆς δυστήνου τὴν ψυχὴν σώσειε* sqq. ubi *δυστήνου* aperte de Alcesti intellegit. Pugnat igitur alterum cum altero neque potest, quid sibi velit scholiasta, intellegi cum addat genetivum extare pro accusativo. Varie emendare locum studui, sed semper aliquid restat scrupuli, cum aut *ἀντὶ τοῦ θανάτου* aut *ἡ γενικὴ ἀντὶ τῆς αἰτιατικῆς* repugnet; vix enim dissona concinere iubebis. Itaque aut corruptissima haec sunt, aut, quod nescio an veri sit similius, ita explicanda, ut dormitare hoc loco bonum scholiastam appareat. —

---

[1]) Idem est animadvertendum in schol. ad R h e s. v. 248 verbis: '*μαντευομένῳ γὰρ αὐτῳ περὶ γονέων ἐπὶ τίνας ἂν τόπους πλανηθεὶς ἐξεύροι τοὺς α ὐ τ ο ῦ γονεῖς...*', ubi *α ὐ τ ο ῦ* pro *αὐτοῦ* legendum est. Pravam pronominis formam exhiberi puto etiam in scholio ad H i p p o l. v. 35, ubi *α ὐ τ ῶ ν* pro *αὐτὸν* scribam in verbis '*λόγος οὖν τὸν Θησέα, ἀνεψιὸν ὄντα τῶν Παλλαντιδῶν παίδων, ἕνα α ὐ τ ὸ ν ἀντιποιούμενον τῆς βασιλείας ἀνελεῖν.*

[2]) Potuit etiam easdem ob rationes aut excidere aut corrumpi supra post *ὅποι,* si quis hoc loco maluerit vel corrigere vel restituere inserendo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Schol. ad v. 162. *πρόσθεν ἑστίας: ὡς πρὸς τὴν ἑστίαν λέγουσαν αὐτήν. μετέβη δὲ ἐκ τοῦ ἐξηγητικοῦ ἐπὶ τὸ μιμητικόν.*

Verba *λέγουσαν αὐτὴν* corrupta esse in promptu est, neque si cum Matthiaeo scribimus: *λέγουσα εὔξατο αὐτῇ* locum emendatum esse puto. Multo lenior adest medicina. Scholiasta enim, ni fallor, indicare voluit servam, cum adhuc narrasset, quae fecisset Alcestis, inde a versu 163 ipsa illius verba afferre, partes quasi illius agere. Hunc sensum in verbis corruptis latere verisimile statim fit, si aliquem eis sensum tribuere studemus, fit certum verbis quae insequuntur: *μετέβη δὲ ἐκ τοῦ ἐξηγητικοῦ ἐπὶ τὸ μιμητικόν.* Iam hoc si tenemus, facilis videtur emendatio; scribendum est: *ὡς πρὸς τὴν ἑστίαν λέγουσα αὐτῇ* — ita loquitur, 'ut si ipsa ad *ἑστίαν* conversa verba faceret', 'imitatur' Alcestin. Cogitari etiam potest de gestu quo sine dubio serva partes quasi agens Alcestis usa est. —

Schol. ad v. 182. *σώφρων μέν: ἐμοῦ μὲν οὐ σωφρονεστέρα, εὐτυχὴς δὲ ἴσως.*

Sensus versus 182 '*σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον εὐτυχὴς δ'ἴσως*' ni fallor hic est: 'non illa quidem modestior, at felicior fortasse', ut *μᾶλλον* non solum ad *σώφρων* sed etiam ad *εὐτυχὴς* pertineat, quae elegantissima est oppositio. Et hoc ipsum scholiasta adnotatione sua docere voluit; aliud non video, nec possum credere adnotationem eum fecisse, ut nihil explicaret nisi *μᾶλλον σώφρων* idem valere quod *σωφρονεστέρα.* Quod si verum est, scribendum *εὐτυχεστέρα* pro *εὐτυχής.*

Schol. ad v. 197. *καὶ κατθανών τ'ἂν: καὶ εἰ μὲν συνέβη αὐτὸν ἀποθανεῖν, μία ἦν ἡ λύπη τὸ θανεῖν καὶ αὐτόν· νῦν δὲ ἐκφυγὼν τὸν θάνατον ἀνεπίληστα ἔχει τὰ κακά.*

Καὶ ante *αὐτόν* ferri nequit; nam non agitur de duobus mortuis et Alcesti et Admeto. Verba *καὶ εἰ μὲν συνέβη αὐτὸν ἀποθανεῖν* ita circumscribenda sunt: si ipse mortuus esset nec Alcestin pro se mori passus esset. 'Quod si accidisset, unus ei fuisset dolor, scilicet moriendi (*τὸ θανεῖν* [*καὶ*] *αὐτόν*), nunc, cum Alcestis mortua sit *ἀνεπίληστα ἔχει τὰ κακά.* Illud *καὶ* igitur sensum pervertit, alium efficit, quem procul dubio non voluit scholiasta. Cogitandum enim esset de morte, qua post Alcestin mortuam omnibus malis Admetus liberare se potuerit. Editionem Iuntinam sequi Dindorfius debebat, quae recte illud *καὶ* omisit [1]).

Schol. ad v. 330. *κοὔτις ἀντὶ σοῦ: οὐδεμία ἄλλη γυνὴ ἐρεῖ μοι, ὦ πόσι· οὐ γὰρ λήσομαι.*

In extremis verbis huius scholii aberrantibus oculis scribentis ad alterum *ου* excidisse videtur *σοῦ.* Offendit absolute positum *λήσομαι* cum per se tum in explicatione scholiastae qui plerumque verbis abundet etiam minus necessariis. Scribendum igitur erit: *σοῦ οὐ γὰρ λήσομαι* vel: *οὐ σοῦ γὰρ λήσομαι,* vel etiam, qui iustior esset ordo verborum: *σοῦ γὰρ οὐ λήσομαι,* quod non minus facile in traditam scripturam potuit corrumpi. —

---

[1]) Etiam in scholio ad v. 340 iniuste Dindorfius Juntinam sprevit exhibentem *ἀντὶ* pro *οὖν* in verbis sic traditis: *σὺ δ'ἀντιδοῦσα: δοῦσα οὖν τῆς ἐμῆς ψυχῆς τὴν σὴν ψυχήν. Ἀντὶ* deesse non potest, quare aut post *οὖν* inserendum, aut hoc in illud corrigendum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Schol. ad v. 629. *οὔτ' ἦλθες: οὔτ' ἐκάλεσά σε ἐλθεῖν ἐνταῦθα, οὔτε τὴν σὴν παρουσίαν ὡς φίλων ** [1]) ἀρνοῦμαι.*

Posteriora absurda esse cum animadvertisset Barnesius, cui non paucas haec scholia debent emendationes, post *φίλων* lacunam esse arbitratus supplevit: *ἀποδέχομαί τ' ἀλλ'*. Certe lenius, fortasse rectius difficultatem sustulerimus pro *ἀρνοῦμαι* scribentes *αἱροῦμαι:* 'neque huc te vocavi neque omnino praesentem te esse cupio', sive: 'neque praesentiam tuam ut amicus tibi accipio'. Atque hic sane sensus fere inest versibus:

οὔτ' ἦλθες ἐς τόνδ' ἐξ ἐμοῦ κληθεὶς τάφον,
οὔτ' ἐν φίλοισι σὴν παρουσίαν λέγω.

Non gratam dicit eius praesentiam sibi esse itaque — *οὐχ αἱρεῖται αὐτήν·*

Schol. ad v. 655. *παῖς δ' ἦν ἐγώ σοι: διὰ τί οὖν ἐφιλοψύχησας, καίτοι ἀπολαύσας; ἀντὶ τοῦ ἤμην. οἱ γὰρ διάδοχον μὴ καταλιπόντες λυποῦνται μάλιστα.*

Verbis *ἀντὶ τοῦ ἤμην,* quae e Parisino Dindorfius addidit, quemnam tribuam sensum nescio. Aptum sensum praeberent verba: *ἀντὶ σοῦ ἐγὼ ἦν.* Haec verba, quae fortasse ita olim scripta erant, apte interpretarentur versum ad quem adscripta sunt: *παῖς δ' ἦν ἐγώ σοι τῶνδε διάδοχος δόμων.* Atque sat lenis videtur mutatio quam proposui; *τοῦ* ex *σοῦ* corruptum videbimus etiam in scholio ad versum 716 et littera *μ* ex *γω* facile vel nasci vel legi poterat, ut aut extaret aut putaret aliquis extare *ἐμην,* quod in *ἤμην* dein mutavit. —

Schol. ad v. 666. *τέθνηκα γὰρ δὴ τοὐπὶ σ': ὃς τὸ κατὰ σὲ τέθνηκα.*

Scribendum puto *ὡς* pro *ὃς,* cum pronomini relativo vix sit locus; *ὡς τὸ ἐπὶ σὲ* dicitur ut *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* atque alia id genus. Idem esset simplex *τὸ κατὰ σὲ,* 'quod ad te pertinet', 'tibi' iam non vivo. —

Schol. ad v. 716. *ἀλλ' οὐ νεκρόν γε: σύ, φησίν, οὐκ ἤρας τοῦ ζῆν ἑτέραν ἀντὶ τοῦ ἀποστέλλων. Ἄλλως· δι' ὧν ἕτερος ἀπέθανεν ὑπὲρ ἐμοῦ σοῦ μὴ θελήσαντος.*

Pro *τοῦ* post *ἀντὶ* aperte *σοῦ* scribendum est. — Reliqua verba huius scholii, quae post '*ἄλλως*' sequuntur, non ad versum 716 sed ad insequentem pertinent: *σημεῖα τῆς σῆς, ὦ κάκιστ' ἀψυχίας,* quorum verborum continent explicationem. Itaque deleto '*ἄλλως*' ut novo scholio lemma eis verbis praefigendum est: '*τῆς σῆς ἀψυχίας*'. —

Schol. ad v. 720. *μνήστευε πολλάς: γυναῖκας δηλονότι, εἰς τὸ ἑτέρας ὑπὲρ ἐμοῦ ἀποθανεῖν·*

Etiam hoc in scholio *σοῦ* corrigendum est, cum *ἐμοῦ* sensum non praebeat in verbis patris [2]) nisi falsum. Non enim pater de uxoribus filii cogitat quae pro ipso moriantur, sed filium castigat alias multas eum uxores ducere iubens, ut omnes deinceps praematura morte eius vitam in sempiternum servent. Itaque *σοῦ* scribendum est, non *ἐμοῦ.* —

---

[1]) Lacunam indicavit Dindorfius Barnesium secutus, cuius emendationem, qua supplevit, noluit recipere.

[2]) et ipsum patrem scholiasta loquentem facit, ut saepissime solet in eiusmodi explicationibus ex eorum oribus loqui, qui partes agunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Schol. ad v. 846. *κἄνπερ λοχήσας: γράφεται λοχείας. λοχᾶν γὰρ αὐτὸν θέλει ὁ Ἡρακλῆς κρυφθείς.*

Cum de alia scriptura dicat scholiasta atque exhibet in lemmate, inter *γράφεται* et *λοχείας* addendum puto *καὶ*, quod facile potuit excidere post *ται* syllabam verbi *γράφεται*.

Schol. ad v. 850. *ἢν δ' οὖν ἁμάρτω: ἐὰν δὲ μὴ εὕρω αὐτὸν πλησίον τοῦ τάφου πίνοντα τὸ αἷμα, εἰς τοὺς δόμους τῆς Κόρης καὶ τοῦ βασιλέως πάντων Πλούτωνος.*

Verbum deest altero in enuntiato; excidisse puto ob similitudinem litterarum inter *αἷμα* et *εἰς* verbum e versu Euripidis desumptum *εἶμι*. Addidit in fine Barnesius, sed non recepit Dindorfius; recepisset haud dubitanter, si quem ego locum proposui Barnesius proposuisset inserendi. Deesse enim non potest.

Schol. ad v. 851. *πέλανον: καὶ νῦν τὴν ῥύσιν τοῦ αἵματος. τὸν πέλανον δὲ ἐπὶ τῆς θυσίας φησί.*

Quid verba *καὶ νῦν* sibi velint intellegere nec potui nec possum. Omissa sunt in Parisino et in editione Juntina. Puto in eis corruptelam latere ac fortasse scribendum esse: *καινὴν τὴν ῥύσιν τοῦ αἵματος* ac significare sanguinem qui modo fluxit, cruorem recentem, ex quo consistunt qui dicuntur *πέλανοι*. Inculcaret ita scholiasta *τὸν πέλανον* ex ipsius hostiae ad sepulcrum mactatae sanguine recenti factum esse. Hoc ita fuisse notum est, atque *καινὴν* si scribimus, reliqua optime se applicant: *τὸν πέλανον δὲ ἐπὶ τῆς θυσίας φησί.* [1])

Schol. ad v. 900. *δύο — ψυχάς: τὴν ἐμὴν ψυχὴν καὶ τὴν ἐκείνου.*

Scribendum est *ἐκείνης* pro *ἐκείνου*, nam de Alcestis anima agitur. —

Schol. ad v. 903. *ἐμοί τις ἦν ἐν γένει: παραμυθεῖται αὐτὸν ὁ χόρος· ἐμοί τις τῶν ἐν γένει, ᾧ νεανίας ἀπέθανεν ἄξιος τοῦ θρηνεῖσθαι διὰ τὸ μονογενὴς εἶναι, ἀλλ' ὅμως ἐκαρτέρουν.*

Primum pro *τῶν* malim collatis verbis Euripidis in lemmate repetitis scribere *ἦν*, ex quo corruptum illud videtur; verbum deesse non potest. Deinde *ἐκαρτέρουν*, si totam condicionem loci respexeris, ferri non posse intelleges. Exemplum alius hominis magno in casu non desperantis attulit chorus, ut Admetum consolaretur; ille igitur casum tulit, nec aliter scholiasta verba poetae percipere potuit perspicua. Scripsit sine dubio *ἐκαρτέρει*, quod restituendum est. —

Schol. ad v. 907. *ἄλις, ἄτεκνος: παντελῶς ἄτεκνος ὤν. ἀλλ' ἰδίως τὸ ἄλις τέταχεν ἐπὶ τοῦ μετρίως, μετρίως ἔφερε τὸ κακόν, καίπερ ἄτεκνος ὤν.*

Hoc scholion duas continet eiusdem loci explicationes prorsus contrarias, cum *ἄλις* primum cum *ἄτεκνος*, [2]) deinde cum *ἔφερε* coniungatur. Haec duo in unum confusa sunt, cum post *ἄτεκνος ὤν* pergatur: *ἀλλ' ἰδίως τὸ ἄλις τέταχεν ἐπὶ τοῦ μετρίως* sqq., quae verba alteram

---

[1]) cf. Rhes. 783: '*αἷμα νέον*'.

[2]) quod si fit, commati non est locus in lemmate.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

continent explicationem. Corruptum aliquid esse patet, nam ne intellegi quidem possunt verba, logicam si spectamus rationem. Sed facile difficultas expedita erit, si pro ἀλλ' scripserimus ἄ λ λ ω ς, ut praefixum alteri explicationi ab ἰδίως incipienti.

Porro pro ἐπί, quo quid faciam, non habeo, ἀ ν τ ί scribendum esse existimo. —

Schol. ad v. 1030. *τοῖσι δ' αὖ τὰ μείζονα: τοῖς δὲ νικῶσι τὰ μείζονα, ἢ γυμνὴν, ἢ πάλην, ἀγέλη βοῶν ἐδίδοτο καὶ γυνή.*

Pro γυμνὴν corrigendum esse π υ ξ γ μ ὴ ν in oculos incurrit. —

Schol. ad v. 1054. *ἐγὼ δέ σου προμηθίαν ἔχω: ἐγὼ δέ σου πρόνοιαν ἔχω, μή ποτε συμβῇ τι παθεῖν ὑπὸ τῶν νεῶν.*

Νεῶν corrigendum esse in νέων vix est quod moneam. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf